



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 253. Et abijt. v. 60.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

possis erui, aut tolli per malignorum suggestionem spirituum vel concupiscentiam carnis, vel oculorum, vel superbiam vitæ. Obsecro igitur bone Iesu, ut mecum semper sis, maneas, mecumq; opereris omnia ad tui solius maiorem gloriam. Amen.

§. 253. *Et abijt. v. 60.*

Absoluto munere suo, quo ad sepulcrum Christi, sanctus ille Ioseph abiit de sepulchro tristis, quod non possit diutius commorari in loco sepulcræ & custodire ipsemet, ne quid mali accideret, donec videret resurgentem die tertia, relictis ad sepulchrum Domini Maria Magdalene & altera Maria, abijs autem ipse in Civitatem ut adverteret quid populus, quid scribæ & Pharisei dicerent de Christi sepultura, quid ultra machinarentur, & si quid mali putaretur, ipse averteret, abijsque in domum suam meditando jugiter ignominiam Christo innocenti factam, & iniusticiam, acerbiter dolorum eius & mortis, expectans triduum resurrectionis.

Domine da mihi & hanc gratiam, ut tui singularem curam agam, ne offendaris ullo modo, aut ignominia honori tuo aduratur sive per me sive per alium, sed semper iugiter meditando præsens sim tibi sive in monte Calvariæ, sive sepulchro, sive alibi in terra, sive in cælo mirabilia & inscrutabilia beneficia tua, quorum non est numerus, expendendo mecum.

§. 254. *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria. v. 61.*

Abiens Ioseph reliquit ad sepulchrum Mariam Magdalenam & alteram Mariam nempe marrem Domini, quæ licet vidissent sepulchrum Dominum, & iam saxum advolutum magnum, attamen præ charitate erga Dominum, divelli à sepulchro non poterant donec reverentia militum adventantium pro custodia arcerentur, paratæ utique manere noctes & dies donec viderent resurgentem Iesum plenæ fide spe & charitate, quod etiam eadem ante omnes mortales paulo post promeruerunt.

Domine, tali amoris vinculo tecum uniri etiam me opto, ut à te nec nocte neque die cogitatione separet, donec veniat dies resurrectionis æternæ.

§. 255. *Sedentes contra sepulchrum. v. 61.*

Sedentes autem erant contra sepulchrum ea intentione, ut ipsæ custodirent, & essent testes ne quid mali vel ignominia fieret sepulchro aut Domino sepulto, eumque suis vigiliis honorarent, precibus, meditationibus, commentationibus pijs & devotis, fletibus & desideriis devotionis:

Y

unde